

sule infra §. 4. Pet. 1. Consecratio 2.

Repones: Christus Jo. 13. dicit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; atqui Christus sic dilexit nos, ut animam suam dedit pro voluntariis peccantibus, pro inimicis, & invasoribus suis: ergo. R. 1. Non puto, adversarios velle, quod vi hujus mandati teneamur stricte facere pro salute proximi omnia omnino, quae fecit Christus pro salute nostra: absona foret hæc intelligentia: ergo ex illo mandato probari non potest, quod teneamur ponere animam pro nostro invasore, quia Christum suam posuit pro invasoribus suis. 2. Quamvis ii, pro quibus Christus animam suam posuit, essent voluntarie peccantes, & te sponte periculo damnationis exponerent, erant tamen aliunde in extrema necessitate, a qua non nisi per Christum liberari poterant. Etenim post Adæ lapsum non poterat genus humanum neque a peccato resurgere, neque salutem consequi absque ope mediatoris: unde est disparitas. 3. Sensus hujus mandati est: Diligatis invicem, non quomodo Pharisei diligunt & docent diligendum proximum; sed sicut ego dilexi vos, & sicut ego docui diligendum proximum, nempe etiam non merentem, etiam inimicum; & diligendum, licet aliae rationes desint, propter solum Deum. Unde voco hoc *novum mandatum*, quia novo modo per me expositum & practicatum. Ita Titinus ex Chrysost. & Aug. Jam vero, qui moderatè defendit vitam suam cum occasione invasoris, non ideo recedit à dilectione proximi; quia non agit ex odio illius, sed amore sui, neque etiam ex intentione mortis ejus secundum nos, sed defensionis propriæ: quia potius optat, ut vivat, ut bene sit, animo paratus reipsa illi in omnibus benefacere, si ipse vellet invasor, & si posset invasus sine vite dispendio.

Obj. 3. Petrus, volenti defendere Christum, Christus ipse prohibuit dicens: *Convertite gladium tuum in locum suum; omnes enim, quia acceperunt gladium, gladio peribunt* Matth. 26. ergo. R. His Christi verbis non prohiberi omnem usum gladii: alioquin non liceret bella gerere, nec Principes & Magistratus possent malefactores reprimere, qui tamen juxta Apost. in hunc finem gladium portant. Nihil ergo aliud his verbis prohibetur, quam quod prohibetur istis, *Non occides*, scilicet privata auctoritate in vindictam. Si dicas, Petrum non intendisse vindictam, sed Christi defensionem, & tamen fuisse reprehensum a Christo. R. N. Ant. Verisimilius est enim, Petrum subito ira motu correptum potius intendisse vindictam & mortem, quam defensionem, quam satis videre poterat non esse possibilem uni, aut paucis incertis contra integram cohortem armatam. Sed est interdum defensionem Christi, Christus non lebat defendi; & ideo reprehenditur, quod petita facultate repellendi invadentes, his verbis: *Domino si percussimus in gladio, non expectato repono, percussimus pro defensione illius, qui secundum ordinationem Patris volebat occidi pro salute generis humani.*

Obj. 4. Matth. 5. dicit Christus: *Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percussit in dextram maxillam tuam, grabe illi & alteram.* Et Apost. ad Rom. 12. *Non vos defendentes charissimi*: ergo. R. ad 1. Verba Christi non esse intelligenda simpliciter, ut sonant quantum ad factum exterius: ipse enim Christus non præbuit alteram maxillam percussenti, Jo. 18. neque Paulus Act. 23. Sed quantum ad præparationem animi; ita ut sensus præcepti sit, (*In c. 5. Matth.*) quod non rependam malum pro malo, ut feri solet, animo vindictæ, & ut Scribæ docebant esse licitum, modo servaretur lex talionis; sed omnino dispositi simus potius alteram maxillam vertere, hoc est alteram injuriam acceptare, quam acceptam ulcisci. Unde Aug. in hæc verba Ep. ad Publicolam 154. dicit: *Hinc autem dictum est: non resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo pascit animum.* Ad 2. (*Hic ad 5.*) R. Similiter verbis Apostoli prohiberi defensionem, quæ sit cum livore vindictæ. Patet tamen ex eo, quod in græco pro *defendentes* legatur *ulciscientes*: tunc ex verbis, quæ immediatè subjungit Apost. *Mihi vindicta, Ego retribuam, Dicit Dominus.*

Obj. 5. ab auctoritate Patrum. Aug. l. 1. de lib. arbitrio c. 5. ait: *Quo pacto istos defendam, qui interficiunt, ne interficiantur, non video.* Et infra: *Quomodo apud eam (divinam Providentiam) sunt isti a peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt?* Inter autem res contemendas reponit eas, quas inviti amittimus, ut sunt vita, pudicitia, &c. Idem consultus a Publicola viro illustri sub his verbis: *Si Christianus videat se a Barbaro vel Romano velle interfici, debet eos ipse Christianus interficere, ne ab illis interficiatur; vel si licet*

sine interfectione eos repellere, vel impugnare, quia dictum est non resistere malo: Est questio duodecima Publicolæ. Cui sic respondet Aug. Ep. 154. *De occidendo hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles; aut publica functione teneatur... Hinc autem dictum est, Non resistamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit.* Ambros. l. 3. Offic. c. 4. ait. *Mihi quidem... non videtur, quid l. Christianus, & justus & sapiens querere sibi vitam aliena morte debeat; ut potè qui etiam in latronem armatum incidat ferientem referre non possit, ne diem salutem defendat, pietatem contamineat. Quis latro detestabilior, quam persecutor, qui venerat; ut Christus occideret? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vultore, qui voluit suo vultore omnes sanare: cur enim te potius altero iudicet, cum viri sit Christiani præferre sibi alterum? Idem l. 3. in Lucam c. 22. §. de saculo & pera tollendis. O Domine, inquit cur emerit me iubeas gladium, qui ferire me prohibes?... nisi forte ut parata sit defensio, non ultimo necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referre non vetat, & ideo fortassis Petro duos gladios offerenti, ut est, dicit, quasi liceret nequæ ad Evangelium, ut sit in Lege æquitas eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.* S. Cyprianus Ep. 56. Est l. 4. edit. Lugdun. 1544. *Ne quisquam, ait, Fratres dilectissimi, cum populum nostrum fugari prospexerit metu persecutionis & spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes audiat. Episcopus: simul tunc esse omnes non possumus, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est.* S. Bernardus Sermone ad Milites Templi c. 1. in fine sic ait: *Est tamen, qui nec ulciscendi zelo, nec vincendi typo, sed tantum eoadmodum remedio interficit hominem: sed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam; cum de duobus malis, in corpore, quam in anima mori levius sit.* Et cap. 2. sic inchoat *Quis igitur finis fructusve secularis hujus, non dico militiæ, sed malitiæ, si & occisor lethaliter peccat, & occisus eternaliter perit?*

R. Generaliter, quod, quia defensionem occisiva cum debito moderamine sit rara & difficilis, difficile est enim homini, qui se contra violentum hostem defendit, ut vel non faciat plusquam sit necesse ad defensionem, vel non intendat vindictam, aut mortem; ideo SS. Patres de ea interdum sunt locuti, quasi esset simpliciter illicita. Hæc generalis solutio præmissa, ad singula singillatim nunc R. Ad Aug. respondet S. Th. (*Ibid ad 1.*) utramque auctoritatem Aug. intelligendam esse in eo casu, quo quis intendit occidere hominem, ut se à morte liberet. Quamvis ad 1. patet ex his verbis, *pro his rebus, in quo designatur intentio, & maxime ex questione proposita initio capitis sic: Prius mihi discutiendum videtur hostis irruens, vel insidiator sicarius sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia, sine ulla interficiatur libidine.* Hoc est sine ulla intentione mortis, aut vindictæ hæc sola enim, non intentio defensionis, intelligi potest nomine libidinis. Quantum ad 2. auctoritatem patet ex his verbis: *Ne nos vindicta delectet.* R. alii, & etiam bene, ad primam auctoritatem, certum argumentum ex ea sumi non posse. 1. Quia S. Aug. fatetur in l. 1. Retract. c. 9. se multa in eo Libro de libero arbitrio, quem junior scripsit inquisivisse, quæ resolvere non potuit, cujusmodi videntur esse, quæ in c. 5. quod versamus, scribit ut attentè legenti patebit; nihil enim absolute resolvit, sed disputat, inquit, se non invenire agnoscit. Legem excusantem defensiones occisivas videt & approbat; quomodo tamen occidentes excuset, non videt sed nec absolute damnat. 2. Et maxime quia juxta novam Edit. Parisiens. Operum Aug. verba obiecta non sunt Aug. sed Evodii disputantis: verba autem Aug. ipsi respondentis sunt hæc: *Multò minus ego invenire possum, cur hominibus defensionem querat, quos reos nulla Lex tenet.* Et ita esse indicat contextus, & ut fertur, Manuscripta renuntiant. Approbat equidem Aug. sub finem distinctionem Evodii, qua concedit tales occasionem perimitti Legibus humanis, ut imputatis, sed tamen Dei providentia vindicari: approbat, inquam, hæc Evodii distinctionem, non simpliciter & ut absolute veram, sed tantum ut fiduciam & sublimita quadam petentem, inchoatam tamen minusque perfectam: quod est iterum apertum iudicium animi dubitantis, & non certè resolventis. Adde juxta Steyartium rationes, quas sive Aug. sive Evodius allegat, parum convincere: v. gr. quod occidere non oportet pro iis rebus, quas contemni oportet, inter has autem vita corporis censetur. Quid si enim quis respondeat, vita corporis nostri si contemni debeat, quanto magis alienam mihi contemni posse, nec adeo curandam, ut pro ea

ego

ego perdere velim meam. Ad rationem verò, quam addit, nempe, quod contemni debeat, quidquid inviti amittere possumus; responderi poterit, verum esse de iis, quæ ita amittimus, ut tamen supersit qui amissis, non verò de vita, quam amittendo nosipsum amittimus. Ita & bene laudatus Steyartius. Ad 3. auctoritatem respondentem, evidens esse ex ipsa interrogatione facta a Publicola, non esse questionem, utrum invasus possit occidere invasorem, sed utrum debeat, & quidem, ut apparet ex textu, ut invasorem, qui sine interfectione repelli potest. Cui questioni rectè respondet Aug. *sibi non placere consilium de occidendo hominibus*, hoc est, ad sensum questionis invasum non teneri occidere invasorem, maxime si sine interfectione repelli potest, nisi invasus sit miles, aut publica functione teneatur, & hoc totum etiam nos dicimus. Ex his igitur collatis cum probat. conclusionis, peritis ex Aug. patet, S. Doctorem, quem totum suum esse volent adversarii, magis nobis, quam ipsis favere.

Ad S. Ambrosium R. ipsum 1. locum non posse intelligi ad sensum opponentium de eo, qui solam suam defensionem intendit: nisi velint juxta S. Ambros. esse illicitum se defendere contra invasorem vite, ipsum feriendo tantum, dicit enim Ambrosius *ferientem latronem referre non possit*; neque potuisse licet occidi illum, qui invasit Christum vitam, & necis auctorem, quod utrumque est falsum. Intelligendus est ergo Ambrosius, sicut Aug. de eo, qui vindictam, aut saltem mortem invasoris intenderet, quod indicant hæc verba, *querere sibi vitam morte aliena*, quasi aliter verba 2. loco obiecta esse intelligenda de eo, qui intendit vindictam, probant hæc: *nisi forte ut sit parata defensio, non ultimo necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse.* Vel dicendum, juxta Ambrosium in utroque loco prohiberi defensionem occisivam, non ut simpliciter malam, sed ut minus perfectam post Evangelium, & ideo in secundo loco subdit, *ut sit in Lege æquitas eruditio, & in Evangelio bonitatis perfectio.* Lex ergo permittens defensionem occisivam æqua erat, sed perfectior Lex Evangelica, quæ suadet tamquam melius, ut id non fiat. Et sanè, qui docet amicum posse in defensionem amici occidere invasorem, non negat id posse in defensionem sui. Vide prob. conclus.

Ad S. Cyprianum R. ipsum loqui, ut patet, in casu persecutionis adversus Christianos ex mandato Principum Ethnicorum, quibus per vim repellendis cum essent tunc impares Christiani, eis occidere non licebat, sed occidi necesse erat. Ad S. Bernardum R. Ipsum versari extra nostrum casum, cum in toto hoc opere agat de militibus, quos tamen indubium est posse hostes occidere, non solum intendendo suam defensionem, sed & eorum occisionem, cum agant ex publica auctoritate. Ideo autem eorum victoriam non bonam dicit, quia loquitur de militibus, qui ingrediuntur bellum, in quo, ut ait Christus, non est causa militandi, sed quod est levibus de causis susceptum, aut qui ex vanitate, & cum pompa muliebris decertare amant. Horum porro, licet neque ulciscendi zelo, neque vindictæ typo, sed tantum evadendi remedio, hominem occidant non est bona victoria. Hanc esse mentem S. Bernardi, patet ex his, quæ scribit in hoc utroque capite, maxime in secundo, in quo hæc leguntur: *Quis ergo, o milites! hic tam stupendus error, quis furor hic non tam ferendus! Operitis equos sericis... Depingitis hastas, clypeos, & sellas, fræna & calcaria auro, & argenteo gemmyque circumornatis, & cum tanta pompa pudento furore, & impudenti stupore ad mortem properatis. Militaria sunt hæc obsequia, an muliebra potius ornamenta? Et infra: *Non sanè inter vos aliud bellum movet litesque suscitât, nisi irrationabilis iracundie motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrene qualicumque possessionis cupiditas; talibus certè ex causis neque occidere, neque occumbere tutum est.**

Opponit insuper Aurelius Piette Bernardum de dispensatione, & præcepto c. 7. ubi S. Doct. dicit: *Mandatum Dei est, non occides: fac ergo duos homicidas, unum quidem spoliendi cupiditate, alterum se defendendi necessitate faciens perpetrare, an non hic satis evidenter inter lepram, & lepram causa separans, faciens utique disparem valde culpam minus ejusdemque transgressionis? ergo. R. Nihil horum haberi in cit. c. 7. in quo S. Bernardus agit de moderandis Ablatum dispensationibus. Verum esto hæc alicubi apud S. Bernardum reperiri, patet ex ipsis verbis ipsum agere de occisore spoliatoris bonorum temporalium, quod illicitum dicemus: cum enim faciat anthesim, & in 1. membro loquatur de spoliatore, debet in 2. loqui de eo, qui occidit, ne spoliator. Nec te moveat, quod dicit, qui se defendit; bene enim, & communiter dicitur Theol. Billuart. Secunda Secundæ,*

tur se defendere, qui bona sua defendit.

Obj. 6. Ex D. Th. Mirum fortasse videbitur S. Th. e cujus penu & argumenta nostra, & contrariorum solutiones depromimus, nobis obijci. Obijciatur autem sic: S. Th. in eo a. 7. quem discutimus, dicit: *Sed quia occidere hominem non licet nisi publica auctoritate propter bonum commune; illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem*: ergo juxta S. Th. non licet privato occidere sui invasorem. R. D. Consequens: ergo non licet privato occidere sui invasorem intendendo ejus mortem, sicut intendit auctoritas publica, dum v. gr. damnat sicarium ad patibulum donec mors sequatur, C. intendendo suam defensionem, & se habendo permissivè ad necem, Nego. Primum docet S. Thomas, ut patet ex ipsis verbis, non secundum.

Inst. Si liceret occidere, liceret intendere occisionem; atqui ex S. Th. non licet intendere occisionem: ergo nec licet occidere. Prob. maj. Licet velle, quod licet facere: ergo. R. N. maj. ad prob. D. Ant. Licet velle, licet licet facere, ut aliquid ex se licitum, C. Si licet facere, non quia est ex se licitum, sed quia sequitur ad actionem licitam, & quia excusatur a peccato defectu voluntarii, N. Occisio autem injusti invasoris non est ex se licita, sed quid consequens ad actionem licitam, neque ad justam defensionem: & ob id, & quia non est voluntaria saltem moraliter, ut explicatum est, excusatur a peccato. Unde, quamvis licet eam ponere, non tamen licet eam intendere: sicut quamvis in bello justo occisio innocentium ex impugnatione hostium sicut sit licita, non licet tamen eam intendere. Similiter abortus foetus inanimati, secutus ex potione matri periculanti necessaria, est licitus, non licet tamen illum intendere.

Urgebis: Quando S. Th. docet non esse necessarium ad salutem, ut homo actum moderate tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, loquitur de occisione castali tantum: ergo. Prob. Ant. quia loquitur de occisione, quæ sit per accidens, in corpore articuli, & de occisione, quæ quandoque tantum, & non semper sequitur ex defensione, ad 4. ergo. R. D. Ant. S. Th. loquitur de occisione castali tantum; si casuale intelligatur, quod non est intentum, C. Si casuale intelligatur, quod neque est intentum neque prævisum, N. contrarium enim evincunt tres rationes ex ipso supra deductæ. Ad 1. probationem in contrarium D. loquitur de occisione, quæ sit per accidens, eo quod non sequatur ex natura meæ actionis, N. eo quod sequatur præter intentionem meam, C. Id enim hic S. Th. est per accidens, quod est præter intentionem, ut patet ex ejus verbis: *Non autem ab eo, inquit, quod est præter intentionem, cum sit per accidens.* Igitur in via S. Th. esse præter intentionem, est esse per accidens. Quamvis autem occisio sequatur physicè ex natura meæ actionis, possum tamen eam non intendere, ut patet ex dictis, & sic est per accidens. Ad secundam probationem: neque nos dicimus, occisionem semper sequi ex defensione; quia non est semper necessaria talis defensio, ex qua sequatur occisio; quando autem est necessaria, est licita, non obstante quod sequatur occisio; quia non est necessarium ad salutem, inquit. S. Doctor, ut homo actum moderate tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam vitæ alienæ.

Repones tandem. Si S. Th. docuisset hic licere occidere invasorem vite, restabat ipsi inquirere, an etiam liceret occidere invasorem bonorum fortunæ, pudicitia, &c. quod tamen non facit. Ideo autem ab his Questionibus abstinere merito, quia supposito quod non liceat occidere invasorem vite, sequitur a fortiori, quod non liceat occidere invasorem bonorum fortunæ: ergo hoc secundum docuit S. Th. aut fuit diminutus in questionibus proponendis, cum tamen sit aliunde fecundissimus. R. N. Sequelam antecedentis: quia hoc ipso quo S. Doct. docuit occisionem invasoris non esse licitam, nisi servato moderamine inculpate tutelæ, sequitur, quod non sit licitum occidere invasorem bonorum fortunæ, quia tunc non servaretur istud moderamen, ut probabimus infra; ideoque hoc non restabat inquirendum S. Doctori.

Verum ut totam hanc vitiliginationem sistamus, si possit, sic propono argumentum. Ille merito dicitur assertor alicujus sententiæ, qui ejus fundamenta proponit, & adstruit, & argumenta contraria sibi opponit & solvit; atqui S. Thom. fundamenta nostræ sententiæ proponit & adstruit, ut patet ex probat. Conclusionis; & argumenta contraria sibi opponit & solvit. Sic argumentum petitum ex Aug. solvit ad 1. & 2. argumentum petitum ex Apost. ad

Rom. 12. solvit ad 5. Argumenta duo, quæ sequuntur, alterum ex Jure Canon. alterum a ratione solvit ad 3. & 4. Et hæc omnia solvit eo modo, quo solvimus; solutiones enim nostræ sunt ex ipsius verbis conflata: ergo.

Obj. 7. Ex Jure Canon. Nicolaus Papa C. De his Clericis distinct. 50. dicit: De his Clericis, pro quibus consuevit, scilicet, qui se defendendo paganum occiderunt si postea per penitentiam emendati possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere; scito, nos nullam occasionem dare, nec ullam trahere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi. Verum, si contigerit, ut Clericus Sacerdotalis ordinis saltem paganus occiderit, multum sibi consulit, si ab officio Sacerdotali recesserit. Item Canones antiqui, ut videre est apud D. Basilium in Ep. 1. ad Amphilochem, apud Isaacum Lingonensem Episcopum tit. 2. c. 13. & alios gravi Penitentia adhibebant eos, qui se defendendo inuasores occiderant: ergo. R. quantum ad irregularitatem, quod hæc sequatur actum homicidii, etiam si sit absque peccato, ut patet in Judice, qui iuste aliquem condemnat ad mortem. Verum esto, quod olim defendens se cum occasione inuasoris incurreret irregularitatem, ut hic supponit S. Th. (Ibid. ad 3.) (quod tamen alii negant) saltem nunc post Clementinam. Si furiosus, antea citatam, non amplius incurrit. Nec obstat Trid. sess. 14. c. 7. De ref. Quia Concilium loquitur de eo, qui se defendendo non servavit moderamen inculpate tutelæ, ut interpretantur Navarr. Bannes, & alii. Neque Concilium absolute decernit, omnem occidentem inustum inuasorem esse irregularem; sed dicit sub conditione, quod, si ex hac occasione indigeat dispensatione, committat Ordinario, aut Metropolitanum, aut viciniorum Episcopo. Vide, si lubet. Quantum ad Penitentiam R. eas imponi ad cautelam, quia plerumque contingit quod defendens intendat vindictam, aut mortem, vel aliunde excedat moderamen inculpate tutelæ. Quantum ad id, quod subiungit Nicolaus Papa, scilicet se Non dare licentiam hominem quemlibet modo occidendi, caute procedit, quia res est admodum periculosa: non tamen damnat, aut prohibet, quod aliunde Jura omnia permittunt in sui defensionem.

Obj. 8. a ratione 1. Nulli licet fornicari, aut adulterari, aut mentiri ad conservationem propriæ vitæ: ergo nec alium occidere. 2. Nemo constituitur Judex in propria causa; atqui inuasor occidens inuasorem constituitur Judex in propria causa: ergo. R. Ad 1. N. Conseq. (Ibid. ad 4.) quia actus sive fornicationis, sive adulterii, sive mendacii non ordinatur de se ad conservationem propriæ vitæ ex necessitate; sicut actus defensionis, ex quo quandoque sequitur homicidium. Adde quodcumque sive adulterium, sive fornicatio, sive mendacium sit intrinsecus, & semper malum; occisio autem hominis non est mala, nisi quatenus habet rationem indebiti, & fit sine legitima potestate, quam habet inuasor in nostro casu. Ad 2. R. Inuasum se defendentem cum occasione inuasoris non magis constituit Judicem in propria causa, quam qui feriendo tantum, seu vulnerando se defenderet, aut rem suam a fure vi auferret. Hi porro non ideo dicuntur constitui Judices in sua causa; ita nec ille, quia in his casibus non agitur de jure dubio inter inuasum, & inuasorem, sed de vi manifesta in instanti, & sine mora per vim repellenda; quod brutis ipsis absque judicio agentibus natura concessit. Alia quædam levia argumenta solvantur ex modo dicendis.

§. IV. Variæ Questiones resolvuntur circa præcedentem materiam.

Petes 1. Utrum conclusio nostra sit intelligenda generaliter de quocumque inuasore contra quemcumque inustum inuasorem vitæ? R. affirmative, excepto fortè uno, vel altero casu. Patet ex rationibus conclusionis, quæ generaliter probant de omnibus inuasivis contra omnes inustus inuasores. Hinc

Sequitur 1. Quod possit defensione occisiva se defendere filius contra patrem, subditus contra dominum, seu Principem, Laicus contra Clericum, Clericus contra Laicum. Excipe casum, quo vita inuasoris foret summè necessaria Reipublicæ; videtur enim, quod tunc inuasor teneatur ex Jussu legali præferre bonum commune propriæ vitæ. Sed hoc est de raro contingenti. Sequitur 2. Quod ita me possim defendere contra inuasorem, qui est tantum materialiter inustus, ut si sit amens, aut furiosus, aut executor injustæ Sententiæ, quam invincibiliter putat justam, aut deceptus me credat banitum, cum non sim: quia licet hi,

& similes me invadendo non peccent, me tamen injustè materialiter invadunt, veram injuriam mihi inferunt, quam vi repellere licet.

Sed quid, si me innocenter invadentem certò sciam esse in peccato mortali? puta esse ebrium, qui me catapultâ invadit. Hic hæret aquæ. Ex una parte videtur, quod iste sit verè in extrema necessitate salutis æternæ, quam vitæ meæ corporali teneor præferre. Ex altera parte videtur, quod mors mea non sit medium efficax ad ejus salutem: nam, si occidat, & ipse evadat, non quidem tunc damnabitur; sed non ideo salvabitur; fortè enim non aget penitentiam, & in illo, aut altero peccato morietur, ut jam notavi supra. Insuper, me cum ejus occasione defendendo, mihi ipsi consulo, dum nescio, ut plerumque accidit, in quo sim statu, aut fortè scio me esse in malo statu, absque certitudine quod ipso actu sim justificandus. Falso enim supponunt illi, contra quos huc usque agimus, certam esse salutem invasi, si pro salute inuasoris ponat animam suam, ex malè intellectis his Christi verbis Jo. 15. Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Non enim est, ut putant, horum verborum sensus, quod mortis permissio pro Deo, aut proximo importet semper, aut maximam charitatem, aut etiam simpliciter charitatem: non maximam charitatem; certum est enim esse plures beatos non Martyres, qui majori ferbuerunt charitate, quam quidam Martyres: inter quos eminet SS. Virgo Mater Dei. Non etiam simpliciter charitatem. Patet ex illo 1. ad Cor. 13. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habero, nihil mihi prodest: & aliunde constat, quod multi sint parati mori potius, quam negare fidem Christi, qui tamen nolunt pro Christo pellicem, aut odium fratrum dimittere. (Hic q. 124. a. 3. o.) Sensus ergo horum verborum est, quod inter humanos actus nullus sit, quo magis demonstrari possit perfectio charitatis, quando habetur, quam oppetere mortem pro Deo, aut proximo: quasi diceret: majorem dilectionis probationem nemo habet, quam dare animam pro amicis. Vide, quæ dicimus de Martyrio in Tract. de Fortitudine. Non negandum tamen, quin talis actus, quando ex vera Dei, & proximi dilectione procedit, sit maximè commendabilis, & spem magnam ingerat divinx misericordix consequendæ. His omnibus itaque utrimque perpensis, quamvis nihil ut certum asserere audeam, probabile tamen mihi est, quod, si inuasor prudenter existimet se non esse in malo statu, teneatur in his circumstantiis mortem oppetere potius, quam occidere inuasorem.

Sequitur 3. Quod, quamvis inuasor inuasioni causam dederit, puta, per calumniam, adulterium, &c. possit tamen contra inuasorem vitæ se cum ejus occasione defendere; quia propter talem causam inuasor non acquirit jus in vasum privata auctoritate occidendi, & sic semper remanet injustus inuasor. Itâ communitèr contra Pontas v. Tuer c. 2. Secus, si inuasor esset banitus, seu proscriptus; quia tunc inuasor ageret ex auctoritate publica tanquam ejus minister, unde non esset injustus inuasor.

Petes 2. Utrum inuasor non solum licitè possit, sed etiam utrum teneatur defendere vitam suam cum occasione inuasoris? R. Jam dixi superius, quod ceteris paribus, seu si spectetur tantum bonum vitæ, & vitæ inter privatos, teneatur per se loquendo, quia juxta doctrinam S. Th. plus teneatur homo providere vitæ suæ, quam alienæ. Si verò attendatur bonum virtutis, puta, si inuasor attendat, quod sit in periculo peccandi excedendo moderamen in defensione, quod ex illa securata sit damnatio æterna inuasoris; his, & aliis similibus rationibus motus, potest, licet non teneatur, permittere sui occasionem exemplo Christi, & Martyrum: quia bonum virtutis, etiam si sit tantum consili, præferri potest vitæ alicujus particularis; & aliunde nemo teneatur cum tanto detrimento, quale est occisio hominis in æternum damnandi, vitam suam conservare, ut patet ex supra dictis a. 3. Intellige tamen si inuasor sit persona privata; quia, si esset persona publica, cujus vita esset maximè necessaria Reipublicæ, apparet, quod teneretur se defendere, quia bonum commune prævalet vitæ privati inuasoris.

Petes 3. Utrum inuasor possit se defendere contra inustum vitæ inuasorem cum occasione innocents, si non possit aliter evadere. Duplex casus ordinariè proponitur. 1. Inter inuasum & inuasorem interponitur innocens; quo se protegit inuasor. 2. Invasor non potest aliter evadere quam fugiendo per augustam viam, in qua jacet infans aut claudus conculcandus; potestne in utroque casu se defendere, aut fugere cum occasione innocents? Antè reservationem suppono 1. ut certum, quod in neutro casu pos-

sit intendere mortem innocents, prævidèque nec eum directè impetere, ut eo sublato impetatur inuasorem. Certum est 2. quod, si innocens esset infans, nondum baptizatus, inuasor deberet potius mortem oppetere, quam illum occidere; quia est in extrema necessitate, & debet vitam ejus æternam præferre vitæ suæ corporali. Item ferè mihi etiam certum videtur, quod, si sit tantum dubium, an ex actione defensiva invasi sequatur mors innocents, possit illam ponere inuasor, & quod excusetur, si præter spem mors sequatur: quia non videtur teneri vitam suam certè morti committere, ut servet in dubio vitam innocents: suppono tamen, non esse infantem non baptizatum. His præsuppositis, R. Probabile est, quod in vasor possit in utroque casu posito se defendere contra inustum inuasorem cum occasione innocents. Quia ex illo innocents occursu invasor non amittit jus se defendendi, & ex actione ejus defensiva, vel ex fuga æquè immediate sequitur salus ejus, ac mors innocents. Quando autem unius actus est duplex effectus, unus bonus, alter malus, potest ex justa causa poni intendendo bonum, & se habendo permissivè ad malum, ut dictum est supra ex doctrina Auctoris, paritas est in eversione Turris, in qua innocentes cum hostibus includuntur, & in aliis exemplis propositis.

Si dicas cum Sylvio: Non tibi licet ab extremè indigente auferre panem, vel tabulam in naufragio, quam esse assecutus, ut te ipsam saltem facias: ergo nec conculcare infantem, aut claudum in via, qui, ut supponitur, habes jus illic jacendi, vel incendi. R. N. Conseq. Disparitas est quod in ablatione panis, aut tabulæ ab extremè indigente prius sit malum, quam bonum; ipsa enim ablatio est formaliter juris alieni violatio, proindeque malum; bonum autem, nempe salus mea, non sequitur immediate ex ipsa ablatione, sed mediante usu panis, aut tabulæ prius ablatæ: non sunt autem faciendæ mala, ut evaniant bona. At in utroque casu nostro actio mea defensiva, seu fuga non est prius juris alieni violatio, aut occisio innocents, quam mea salus, est enim simul & æquè immediate defensiva; si que non facio malum, ut eveniat bonum, sed facio bonum, ad quod jus habeo, ex quo præter intentionem sequitur malum.

Petes 4. An etiam licet in vaso se defendere cum occasione inuasoris, mutilare tantum volentis, non occidere? R. Si certò constaret, inuasorem velle tantum mutilare, & non esset periculum quod mutilando occideret, non posset in vasor talem vim repellere cum occasione, sed tantum cum mutilatione inuasoris: alioquin non servaretur moderamen inculpate tutelæ, cum mors inuasoris sit majus malum, quam mutilatio invasi. Sed quia plerumque certò dignosci non potest, an in vasor velit tantum mutilare, an occidere, & quamvis constaret de intentione mutilandi tantum, regulariter imminet periculum, ne volendo mutilare, occidat, arbitror regulariter posse in vasum se defendere contra talem inuasorem cum ejus occasione.

Petes 5. Utrum possit pro defensione vitæ proximi, quod potes pro defensione vitæ propriæ? R. affirmative, nisi fortè in vasor proximi sit pater tuus, vel mater, vel filius, vel conjux. Ratio est; quia hoc ipso quo ex charitate debemus diligere proximum sicut nos ipsos, possumus pro ejus defensione facere, quod possumus pro nostra. Ratio autem exceptionis est; quia id videtur nimis repugnare inclinationi naturali, ac dictamini rationis, imò & ordini charitatis, qua magis tenemur diligere Parentes nostros, quam extraneos.

Si ulterius petas, utram etiam ad id tenearis, dum potes? R. negative, nisi id exigat officium, aut nisi in vasor sit pater tuus, vel mater, vel proles, vel conjux, vel persona valde Reipublicæ necessaria, cui speciali titulo tenearis subvenire. Ratio est; quia ubi est æquæ equalitas inter inuasorem & invasum, cum uterque sit æquè proximus, non est stricta obligatio standi magis pro vita huius quam pro vita alterius: & si ex una parte urgeat melior conditio innocents; ex altera æquè ad minus urget pejor conditio nocents in ordine ad salutem æternam. Existimat Franciscus Henno, quod, si in vasor auxilium tuum requirit, tenearis præbere; sed non videtur, quæ ratione hæc privati hominis requisitio tam strictam obligationem parere possit, maximè cum agatur de certa damnatione inuasoris, & non invasi. Teneris tamen facere id omne, quod commode potest, in defensionem invasi citrà occasionem inuasoris.

Dices. S. Ambr. supra laudatus l. 3. offic. c. 4. dicit: Qui non repellit injuriam a socio quando potest, tam est inuito, quam ille qui facit; & laudat Moysen, quod occiderit Ægyptium Israelitæ insultantem: R. S. Ambr. esse intelligendum de eo, qui ex officio teneatur alterum defendere. Quantum ad Moysen, laudat quidem illum, quod in defensionem Israelitæ Ægyptium occiderit, sed

non dicit eum ad id obligatum fuisse.

Ceterum, neque etiam ille, qui ex officio tenetur vitam alienam defendere, ad hoc adstringitur cum propriæ vitæ periculo, nisi in vasor sit valde Reipublicæ necessarius: quia non bonum cuiusque privatum, sed commune tantum, cum tali dispendio servandum, eorum custodix commissum est, & sic apprehendit sensus communis.

ARTICULUS VI.

Utrum liceat defendere bona temporalia cum occasione Inuasoris?

Nota: Nomine bonorum temporalium hic intelligo bona fortunæ, divitiarum scilicet, pudicitiam, honorem & famam. Fuit sæculo præterito communis sententia, eorum defensionem esse licitam cum occasione inuasoris. Nunc autem hæc sententia antiquatur, & opposita evasit communior.

Suppono 1. licitum esse defendere aliqua violentia infra occasionem bona fortunæ & pudicitiam. Unde tua bona auferentem potes vi impedire, abigere, rem ablatam violentè auferre, furem percutere, imò si sit res gravis momenti vulnerare, secluso periculo occisionis. Id aperte concedunt Jura c. Olim. De Restit. spoliat. l. 2. tit. 13. &c. Dilectio. De Sentent. Excomm. l. 5. tit. 11. in 6. Ratio est, quia, licet bona fortunæ physice loquendo sint inferiora integritati corporis humani; tamen moraliter loquendo majus malum reputatur amissio bonorum gravis momenti, quam levis vulneratio injusti inuasoris absque periculo mortis. Nec obstant verba Christi Matth. 5. Qui vult vitam suam salvam facere, & tunicam suam tollere, dimitte eam & pallium: quia Christus his verbis non prohibet rem injustè ablatam in judicio repeti, neque jubet non rapta rapta addere: (Inc. 5. Matth.) sed vult tantum, Apostolos & Christianos maximè nascentis Ecclesiæ deterrere a contentione & litibus, quibus impediretur conversio mundi ad fidem, & undè innumera propè mala scauriunt. Quapropter perfectis consulum est abstinere omnino a litibus; non movere autem lites cum contentione & fraude, ut fieri solet, omnibus sive perfectis, sive imperfectis est præceptum. Similiter femina non solum potest, sed etiam debet totis conatibus pudicitiam inuasorem repellere, clamando, increpando, pugnis, alapis percutiendo, etiam vulnerando absque periculo occisionis, non solum ne se proprio & aliena peccato contaminet, sed etiam ut servet integritatem corporis, quam merito præfert divitiis, & consequenter levi læsioni stupratoris.

Suppono 2. quod, si ex defensione moderata bonorum fortunæ, aut pudicitia, inuasor irritatus impetatur vitam invasi, possit tunc in vasor se defendere cum occasione inuasoris; quia jam est vitæ inuasor, & non tantum bonorum fortunæ. Neque videtur, quod ideo debet abstinere a moderata defensione suorum rerum gravis momenti; quia utitur jure suo. Nec est simile de simplici fuga, quam teneatur adhibere, qui hoc modo potest declinare inuasorem vitæ; quia fugiendo vitæ consili & nihil amittit, nisi fortè honorem mundanum, qui nullius est pretii, ut dicam infra, sed abstinendo a moderata defensione in nostro casu amittit bona, aut pudicitiam. His suppositis, sit

§. I. De defensione bonorum Fortunæ.

Dico: Non est licitum defendere bona fortunæ cum occasione inuasoris. Prob. 1. Ex jure laudato cap. 22. Exod. ubi dicitur reus sanguinis, qui furem diurnum occiderit, quod, inquit Aug. c. Si perfidius, de homicidio, possit discerni, quod veniat ad iudicandum tantum, & non ad occidendum. Prob. 2. ex eodem Aug. Dubitavit Aug. l. de lib. arbit. farentibus adversariis, an liceret vitæ inuasorem occidere: ergo pro certò habebat, id non licere pro bonis fortunæ, quæ sunt longè inferioris ordinis ad vitam. Quantum ad S. Th. hæc quæstionem, sicut & duas sequentes de pudicitia & honore, nequidem discutere dignatus est; verisimiliter, quia improbabilis reputabit, & ex principio a se posito de servando moderamina inculpate tutelæ sufficienter retutatas habuit, ut jam notavi & amplius dicam modo. Prob. 3. Ex Jure Canon. c. Successimus. De Homicid. Extra. Libr. 1. tit. 2. Alexandr. III. Monachum, qui furem vestium occiderat, subiecit non solum irregularitati, sed & penitentia; hæc generaliter ratione, quæ tam pro Laicis, quam pro Monachis militat: Quoniam, inquit, expedit potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro con-

servandis vilibus rebus & transitoriis, tam acriter in aliis exarscere. Prob. 4. ratione. Non licet vim vi repellere, nisi servato moderamine inculpate tutelæ; atqui per defensionem occisivam invasoris bonorum fortunæ non servatur istud moderamen: ergo. Prob. Minor. Ad moderamen non sufficit, quod invasus non faciat, plusquam sit opus ad rem suam defendendam, sed insuper requiritur, quod sit proportio inter rem defendendam & vitam invasoris, ita quod res defendenda non sit minoris æstimationis, quam vita invasoris, ut probavimus Art. præced. §. 2. Alioquin, ut illic diximus, ille servaret moderamen, qui occideret invasorem pro uno aureo, vel pomo, si aliter servari non posset, quod est absurdum & damnatum; atqui non est proportio inter bona fortunæ & vitam invasoris, cum hæc sit superioris ordiis ad omnia fortunæ bona, & semel amissa sit irreparabilis, illa verò reparabilia: ergo. Hæc ratio, ut vides, probat pariter quantum ad defensionem pudicitie & honoris. Hæc etiam faciunt propositiones sequentes damnatæ, 1. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Est. 32. Innoc. 2. *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injustè impediendum, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habent ad Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impediendum.* Est. 33. Eiusdem Innocent. XI. Ex quibus sic arguo: Istud jus ad rem est quandoque majoris momenti, quam res actu possessa; atqui non licet occidere pro isto jure: ergo nec pro mediocri possessione. 3. *Propositio damnata est hæc: Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.* 31. ejusdem Innoc. Quæ tamèn erit vera, si intelligatur principium Juris, *vim vi repellere*, ut intelligunt adversarii.

Obj. 1. *Famosum Canonem Interfecti. De homicid. cit. ubi occidit propter defensionem bonorum fortunæ non inquitur Pœnitentia, sed ejus arbitrio relinquuntur his verbis: Si autem sine odi meditatione, te tuaque liberando, hujusmodi diaboli membra interfecti (secundum indulgentiam dico propter imaginem Dei) si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, & elemosinam fac largiter. Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur; tamèn quamdiu vivit, Pœnitentiam agat. Item c. Olim 12. De resit. spol. &c. Dilect. supra cit. R. ad 1. has particulas: Te tuaque liberando, sumi, non disjunctivè, sed copulativè, ut verba præ se ferunt: adeoque non est ibi sermo de occasione invasoris bonorum tantum, sed etiam & præcipue de occasione invasoris vite.*

Si istæ ex c. Verum, De jur. jurando 16. l. 2. tit. 24. ubi, cum dicuntur ab Ecclesia absolvi, qui metu coacti jurarunt pro vita & rebus servandis, istæ particule pro vita & rebus sumuntur disjunctivè, & non copulativè: ergo similiter hic. R. N. Conseq. Disparitas est, quod in cap. Verum agatur de facto plurium, quorum quidam pro vita, quidam pro rebus juraverunt; undè est locus distributioni. At in c. Interfecti agitur de facto unius, qui se & sua defendendo invasorem occiderat. Ad alia duo capitula R. in iis agi dumtaxat de defensione, non de occasione; undè nihil contra nos: non enim dicimus prohibitam esse defensionem, sed occasionem.

Obj. 2. *Vim vi repellere licet pro defensione bonorum sicut pro defensione vite; id enim jura indistinctè permittunt; atqui licet vim vi repellere occidendo invasorem vite: ergo & bonorum.* R. D. Maj. Vim vi repellere licet servato moderamine inculpate tutelæ; C. non servato. N. Non servari autem, si occidatur invasor bonorum fortunæ, ostendit in probatione conclusio.

Inferes: ergo Judices peccant, dum fures morti addicunt. R. N. illationem: quia Judices publica auctoritate fungentes attendunt non ad damnum unius privati præcisè, sed ad tranquillitatem Reipublicæ, quæ præferenda est vite latronum, qui eam perturbant.

Inst. Ideo licet interficere invasorem vite, quia non est in extrema necessitate; atqui fur non est etiam in extrema necessitate, cum ab ea quando voluerit, possit se eripere, cessando a furto: ergo. R. D. Maj. Ideo tantum, N. ideò & quia servatur moderamen inculpate tutelæ; C. Solutio patet ex dictis. Et si quidam argumentum probaret, sequeretur, quod possem pro furto poni occidere furem, quia ipse in hoc periculum se injicit.

Repones: Non teneo conservare vitam proximi cum gravi factura bonorum meorum; undè, ut superius dicebamus; si vicinus mihi dicat: *Da mihi mille aureos, alioquin me suspendam*, non teneo ipsi dare: ergo si illos a me auferat, possum occidere. R. N. consequentiam: aliud enim

est non conservare vitam proximi, aliud ipsum occidere: sicut aliud est conservare vitam, aliud non occidere. Conservare vitam proximi ipsi positivè succurrendo est præcepti affirmativi, quod non obligat cum gravi detrimento; non occidere autem est præcepti negativi, quod obligat pro semper: quare nullo unquam casu licitum est occidere directè & ex intentione nisi ex dispensatione Legislatoris, ut fit dum occiditur auctoritate publica; vel indirectè & præter intentionem, vim vi repellendo cum moderamine inculpate tutelæ; quod non servatur, dum occiditur pro defensione bonorum fortunæ.

Obj. 3. *Bona fortunæ sunt necessaria ad vitam; atqui licitum est defendere vitam cum occasione invasoris: ergo & bona fortunæ.* R. N. Maj. Intelligendo per bona fortunæ divitiæ: patet enim contrarium in pauperibus & mediocri fortunæ viris. Quod si per bona fortunæ intelligatur id, sine quo vita servari non potest, ut est panis extremè indigenti, tabula naufraganti; tunc verisimile est, quod possint defendi contra auferentem cum occasione ipsius, si aliter retineri non possit; quia tunc non solum est invasor bonorum, sed vite.

Inst. Mallet vir honoratus mori, quam cadere à suo statu, ad quem saltem sunt necessaria vitæ: ergo. R. N. Conseq. Etenim non raro mallet vir honoratus mori, quam vivere cum mala muliere: numquid ideò potest se aut illam occidere? Sed & D. antecedens: Mallet imprudentè, C. prudentè & secundum rectam rationem, N. omnium enim malorum maximum est mors, a quo non datur regressus ad vitam, sicut dari potest a paupertate ad divitiæ.

Obj. 4. *Sententia nostra apperit viam furis, & animum addit furibus, cum oppressione bonorum & perturbatione Reipublicæ: ergo. R. 1. Retorquendo argumentum. Sententia adversariorum viam apperit homicidiis, & animum addit sanguinariis sæculi & divitiarum amatoribus, cum plurimum damnatione, & majori Reipublicæ perturbatione: ergo. R. 2. N. Ant. Quia 1. non prohibemus omnem defensionem. 2. quia Justitia publica supplet, quod deest defensionem. 3. quod si quid ejus vigilantiam effugiat, rarum est & per accidens, quod curari non solet. Insuper, non obstante Sententia nostra, non deerunt, qui sua acriter defendant etiam cum invasorum occasione: undè semper erit, quo terreantur fures.*

§. II. De defensione Pudicitie.

Dico: Non licet defendere pudicitiam cum occasione invasoris. Prob. Vel pudicitia sumitur pro virtute animi; & hæc ab invia auferri non potest. Undè dicebat S. Lucia Tyranno: *Si inviam jussisset violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Vel sumitur pro integritate carnis, quæ consistit secundum aliquos in aliqua pellicula, secundum alios in constitutione partium vasæ femineæ; hæc autem non secus, ac pulchritudinem, cui possit comparari, constat esse inferioris ordiis ad vitam hominis, & consequenter si pro illius defensione occideretur homo, non servaretur moderamen inculpate tutelæ: ergo.

Dices: Pudica virgo meritò mallet subire mortem, quam corpore feccari. Undè laudantur quædam sanctæ Virgines, quæ ne violarentur permisissent se occidi, aut etiam seipsas occiderunt: ergo pudicitia pluris est, quam vita, & consequenter pro illa non minus, quam pro vita licet occidere injustum invasorem. R. Dato antec. N. Conseq. Quod enim possit pudica virgo eligere pari mortem potiusquam feccari per stupratorem, non est; quia pudicitia pluris est, quam vita, sed quia non tenetur vitam conservare per medium tam odiosum & periculosum. Aliud autem est non conservare vitam, aliud occidere, ut jam notavi. Primum licet in multis casibus; secundum nunquam licet directè nisi auctoritate publica, nec indirectè nisi servato moderamine. Quapropter laudari possunt sanctæ Virgines, quæ amore virtutis, aut timore peccandi permisissent seipsas occidi potius, quam corrumpi. Quæ autem seipsas occiderunt, laudari non possunt, nisi quatenus censentur id fecisse ex instinctu Spiritus S. Adde, quod facit ad propositum, inter eas, quasi Ecclesia colit, nullæ leguntur occidisse stupratorem, quamvis indubiè aliquæ potuissent.

Inst. 1. S. Ambros. l. 3. offic. dicit: *Periculum pudoris bonis feminis esse morte gravius.* Et S. Aug. libr. cont. Mendac. esse minus malum mentiri ad tuendam pudicitiam, quam ad tuendam vitam: ergo. R. ad 1. sensum Ambrosii esse, quod pudica mulier mallet mori, quam alienæ libidini consentire. Ad Aug. ipsum loqui de pudicitia, ut virtus est, non de pudicitia corporis simpliciter. Inst.

Inst. 2. Saltem propter urgent periculum peccandi videtur licitum castæ puellæ occidere invasorem suæ pudicitie. R. N. Ant. 1. Quia, quamvis sit aliquod periculum, ne puella ex fragilitate nature consentiat turpi delectationi, non videtur tamèn propinquum: tales enim amplectens inviti, & violenti solent magis horrorem, quam amorem ingerere, saltem ex parte voluntatis, licet fortè in parte inferiore aliquid delectationis involuntariè irrepar. 2. quia dato periculum esse proximum, non ideò liceret occidere invasorem. (Hæc a. §. a.) Sicut enim, ut docuimus supra, nemo potest seipsum occidere, nec consentiat in peccatum, ita nec alterum; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, seu ut vitentur mala minus certum, potens est enim Deus hominem quicumque tentatione superveniente liberare a peccato. Undè Aug. l. 1. de Civit. c. 25. dicit in simili casu: *Quis ita desipiat, ut dicat: Jam tunc perpetravi homicidium, ne forte postea incidamus in adulterium.*

§. III. De defensione honoris, & famæ.

Dico: Non licet defendere honorem, seu famam cum occasione invasoris. Antè probationes nota, honorem posse sumi dupliciter: radicaliter, & formaliter. Honor radicalis est excellentia quædam, propter quam unus alius præfertur, & honoratur: hæc autem excellentia vel est virtus supernaturalis, vel dos aliqua naturalis animi, vel corporis, ut ingenii præstantia, scientia, fortitudo, pulchritudo, dignitas, divitiæ, &c. Honor formalis est: bona æstimatione, quam homines concipiunt de alio propter istam excellentiam, aliquo signo exteriori manifestata. Si enim in bona æstimatione sistatur, est fama; si adiungatur testimonium exterioris verbi, vel signis, est honor. Hoc notato,

Prob. 1. C. clausio ex eodem semper principio, vel honor sumitur radicaliter, vel formaliter; atqui neutrum licet defendere cum occasione invasoris: ergo. Non radicaliter; quia virtus supernaturalis non potest ab inviti auferri. Dotes autem naturalis animi, vel corporis non possunt etiam auferri per calumniam, aut contumeliam; quod si quis forte arte, aut veneno: deturperat corpus, aut tranget, redderetque animum suis functionibus minus aptum, hæc tamèn bona, sicut & dignitates, & divitiæ sunt inferiora ad vitam hominis, ita quod occidere hominem pro illis servandis, non esset servare moderamen inculpate tutelæ. Non honorem formalem; quia est vanus, ac fragilis, utpotè situs in æstimatione hominum, a quibus hodie honoris cras vituperandus: item periculosus, nempe superbia, ac vane gloriæ stimulus: ideòque juxta Christi, & SS. oracula atque exempla potius fugiendus, quam querendus; sique nulla ratione conferendus cum vita hominis, nec consequenter per hujus oblationem conservandus. Audiant, qui aliter capiunt, verba Christi Matth. 5. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, &c. dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in calis:* ergo. Neque tamen omnem appetitum honoris damnamus, ut patet ex sol. obj.

Prob. 2. Honor auferitur verbis ut calumnia, detractio, contumelia, &c. vel signis, ut impacta elapsa, ictu fustis, aut aliis signis vituperii, & contemptus; ictu vis modo auferatur, non potest, nec debet separari, aut conservari per occasionem invasoris: ergo. Prob. Min. pro 1. parte. Si verbis: Primum, quia non est ibi vis, qualem vi simili repellere Jura permittunt; alias liceret repellere calumniam calumnia, contumeliam contumelia, quod est contra Doctr. Evangel. & quod nemo admittit. Secundo, quia tu, qui pateris inhonorem per calumniam, &c. vel potes probare tuam innocentiam, vel non; si primum, iam suppetit alia via, quam occisio invasoris, ad conservandum; vel reparandum tuum honorem. Si secundum, occidendo eum, qui de calumnia convinci non potest, tuum non servas, aut reparas honorem, sed incurris majus periculum infamie in judicio, & extra: ejus enim occisio non te probat innocentem, sed impatientem, & infamem homicidium. Prob. Min. pro 2. parte. Si signis; quia falsum est, verum honorem inde perderi, si injuria non repellatur morte invasoris. Non enim verus honoris reponendus est in æstimatione hominum mandatorum, & secundum sæculi regulas sentientium, nisi velis esse honorabilem inebriari ebriosis, fornicari cum fornicantibus, contrarium enim agere probrosum judicant mundi sectatores: sed reponendus est verus honor in æstimatione sapientum, & secundum Christi, ac Religionis regulas sentientium. Hi au-

tum non solum non contemnent, sed maxime laudabunt, & vero honore dignum judicabunt, qui ex amore Christi condonabit injuriam, eamque injuriantis morti posthabebit.

Prob. 3. ex condemnatione propositionum sequentium. 1. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nixit calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis incutiat aliam, vel fuste percussit, & post impactam aliam, vel ictum fustis fugiat.* Est 30. Innoc. XI. 2. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minuitatem, occidere, quando alius modus defensionis non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sic paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Est 17. Alex. VII. 3. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certò imminet Sententia, si alia via non potest innocens damnatum evadere.* Est 18. Alex. Hæc tres propositiones, ut patet, continent ipsissimam doctrinam, quam impugnamus; quam si semel admittas, nullus erit in tuto, omnia impunè replebuntur homicidiis, cum totali Reipublicæ diversione, quæ est altera ejus malitia: quisque enim facile finget eum, quem odio prosequitur, sparsisse, aut spargere niti calumnias, ut eo prætextu illum impunè interficiat. 4. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illum acceptare, ne similitudine notam apud alios incurrat.* 2. Alex. Porro, si ob hanc causam non possit acceptare duellum, quod est tantum via ad homicidium: ergo a fortiori nec ipsum homicidium perpetrare.

Dices: Ecclesiastici 14. jubemur habere curam de bono nomine, & juxta Aug. libr. de bono viduit. c. 22. debemus famæ nostræ satagere, nec simus proximo scandalo, sed simus potius bono exemplo, secundum illud 2. ad Cor. 8. *Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus:* ergo. R. Non equidem negamus, curam esse habendam de bono nomine, neque damnatum famæ & honoris moderatum appetitum, quippe quo sæpe homo a peccatis arceatur, & ad virtutes stimuletur: insuper utile est bonum nomen ad promovendam Dei gloriam, & proximi salutem; ac propterea illud curare, & tueri vis licitis, præsertim vite munditie, omnibus incumbit, maxime superioribus, & ministerio publico fungentibus, ut Confessariis, Concionatoribus, &c. Verum, quantumvis sit utile, non est tantæ necessitatis, ut per occasionem hominis licet illum defendere. Quinimo sæpe utilius est ad salutem contemni, & humiliari, ut experientia constat, & probant exempla Christi, & Sanctorum. Undè illud jam laudatum Christi oraculum: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, &c.* Quando igitur ita accidit, divina disponente providentia, nec mediis licitis, calumniis, & diffamationem avertere possumus, debemus rem Deo committere, in patientia possidere animas nostras, & dicere cum Apostolo: *Gloria vestra hæc est testimonium conscientie vestre.* 2. ad Cor. 1.

Inst. Vir probus & honoratus meritò mallet mori, quam vivere sine honore & fama: ergo. R. D. Ant. Merito mallet, &c. id est, meritò eligeret potius mori, quam per propriam culpam perdere famam & honorem, C. Ant. Sic enim vir probus debet curare bonum nomen. Id est, meritò eligere potius mori, quam perdere famam & honorem per alterius calumniam, aut injuriam, N. Ant. Iste enim amor foret ordinatus.

Repones. Saltem, quando fama est necessaria ad promovendam gloriam Dei, & salutem proximi, aut ab ea pendet fama totius alicujus Religionis, videtur pluri faciendæ, quam vita calumniatoris; agitur enim tunc de bono communi: ergo. R. Quod per exemplum patientiæ Christianæ magis gloria Dei, & salus proximi promovebuntur, quam per violentam calumniatoris occasionem. Adde, quod calumnia non sit vis, quæ armis debeat repelli, & quod occisio calumniatoris potius infamiam inferat, quam honorem servet, aut reparet. Vide 2. probationem conclusionis.

ARTICULUS VII.

De Abortu.

Abortus est ejectio præmatura foetus, sive sit animatus, sive non, modò sit conceptus; quod addo, quia ejectio seminum antè conceptionem, ut non raro accidit metu prolis, quamvis sit grave peccatum, non est tamèn propriè abortus, nec subjacet pœnis latis contra procurantes abortum.

Dico 1. Procurare abortum foetus, sive animati, sive inanimati, directè, & ex intentione est gravissimum peccatum, quod

quod nullo bono fine sive fame, sive vite salvandæ coherere potest. Prob. 1. Quia si fetus sit animatus, ejus abortus est homicidium corporale, & spirituale; si noudum sit animatus, quamvis non sit propriè homicidium, ad illud tamen reducitur: sicut enim, inquit Estius, qui impedit, ne aliquis lucretur, licet non sit propriè factum, tamen peccat contra septimum præceptum, & ad factum reducitur: ita qui futurum hominem impedit, etsi propriè non occidat, in eodem tamen genere peccat, eo nimirum peccato, quod ad homicidium reducitur: unde vocatur a Tertulliano *Festivatio homicidii*: ergo.

Prob. 2. Procurare pollutionem directè, & ex intentione nunquam est licitum propter duo: 1. Quia est contra finem seminis a natura per se intentum, scilicet generationem prolis. 2. Quia, si aliquo casu liceret sibi procurare pollutionem, homines ejus voluptate illicitè passim fingerent casus similis licentiæ, & ea delectatione contenti minus de generanda prole curarent in maximam generis humani perniciem; atque hanc duplicem malitiam importat procuratio abortus: 1. Est contra finem generationis non solum a natura intentum ut pollutio, sed jam actu attentatum, & proxime attingendum. 2. Si aliquo casu liceret procurare abortum, quamvis non sit in eo delectatio alliciens sicut in pollutione, sequitur tamen idem inconveniens, quatenus luxuriosi homines, eo animo, ac fiducia freti, quod liceret aliquando expellere foetum, & impedire generationem, puta metu infamiz, aut mortis, &c. fingerent passim similes casus, ut possent liberius indulgere fornicationibus, & stupris, a quibus deterere solet minor prolis, sicut ea delectatione contenti, quæ major est, quam pollutionis, abstinere a legitimo matrimonio in magnam speciei humanæ detrimentum. In his itaque, pluribus aliis malitia inexcusabilis repeti debet, non tam a damno actuali quod afferunt semel facta, quam a damno habituali, & consecutivo, quod afferrent semel licita. Hinc merito confixa est ab Innoc. XI. hæc propositio: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*. Est 34.

Prob. 3. Ex Jure Civili, & Canon. & penis ab utroque decretis in procurantes abortum. Jure Civili mulier procurans abortum foetus inanimati mulctatur exilio. C. *Si mulierem ff. ad Legem Corn. de Siciariis*; si autem sit fetus animatus, morte plectitur. Jure Canon. in Concilio Trullano, Illiberitano, Wormatiensi, &c. severissimæ Poenitentiz addicitur.

Et verò Sixtus V. Bulla *Efferatam* data 16. Nov. 1588. decrevit omnes, qui procurant abortum foetus animati, vel inanimati effectu secuto, item qui sterilitatis potiones propinaverint, aut quominus fetus concipiatur, impedimentum præstiterint, vel his criminalibus quovis modo cooperati fuerint, incurrere omnes penas Jure tam divino, quam humano Civili, & Canonico contra homicidas voluntarios inflicti, & insuper subiecti eos ipso facto irregularitati, & excommunicationi, a quibus excepto mortis articulo absolvi non possunt, nisi a Romano Pontifice. Item privati eos Officiis, & Beneficiis, & inhabiles reddit ad ea in posterum obtinenda. Verum hanc Sixti Bullam moderatus est Gregorius XIV. Bulla *Sede Apostolica* data 9. Junii 1561. & dictas penas irregularitatis, excommunicationis, & alias a Sixto latas restrinxit ad eos tantum, qui procurant abortum foetus animati, aut illi quovis modo cooperantur; declarat insuper, quod ab hoc casu, & censura annexa Episcopus, aut quilibet Confessarius ab Episcopo ad hunc casum specialiter deputatus absolvere possit.

Propter hæc particulam specialiter dudum est inter Theologos, utrum Confessarius, qui habet facultatem generalem absolvendi a casibus reservatis, possit ab isto absolvere: communis negatur, quia ille ratione generalis concessionis non censetur specialiter deputatus ad hunc casum: ceterum quisque consulat suæ Dioceseos usus, & statuta: in hac nostra Leodiensi videtur hic casus sub homicidio voluntario specialiter reservari. Et nota bene, quod, ut iste casus cum annexa censura incuratur, debeat abortus re ipsa sequi, ut exprimitur in Bulla Sixtina: unde, qui tentavit procurare abortum effectu non secuto, non incurrit has penas.

Sed petes, quando foetus animatur anima rationali? R. Id esse incertum, & hæc usque disputatum inter Medicos. Alii enim volunt animari ab ipso conceptionis initio, alii 30. alii 40. die post conceptionem. Quidam non ita pridem docebant non animari nisi dum paritur; quorum sententiam reprobat Innoc. XI. in condemnatione hujus propositionis: *Videtur probabile, omnem factum, quantum in utero est, cavere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, nullo abortu homicidium committi*. Est. 35. & patet falsitas hujus

propositionis ex his, qui ex secta matre vivi extracti sunt, & diu postea vixerunt, qualis fuit S. Raymondus Nonnatus. Attamen quantum ad penas incurrendas ut quid certum in praxi habeatur, communiter censent Auct. eas incurrere a procurante abortum post 40. diem conceptionis, si sit mas, & post 80., si sit femina; & ubi dubitatur, an sit mas, vel femina, præsumitur esse mas quoad forum conscientiz, eamque esse pravim Sacre Poenitentiz, testatur Navarrus apud Sylvium hic a. 7. Queritur 4.

Dices contra Concluse. casu, quo ad conservandam vitam matris non sit aliud remedium, quam procurare abortum, videtur, quod sit licitum illum directè, & ex intentione procurare. 1. Quia foetus est membrum, seu pars matris, licitum est autem amputare partem pro salute totius. 2. Quia censetur tunc aggressor matris. 3. Quia majus est malum mors matris, quam ejectio foetus saltem inanimati, & duobus autem malis minus est eligendum: ergo. R. 1. Hæc argumenta nimis probare. Probant enim, etiam licitum esse pollutionem procurare directè, & ex intentione, quod communiter rejicitur; potiori enim jure dici potest de semine, quod sit pars corporis; quod sit aggressor vite; quod minus sit malum illud expelli, quam hominem mori: probant ergo nimis, adeoque nihil. R. 2. Ad singula. Ad 1. nego, factum esse propriè partem, aut membrum matris, quia dicit ordinem ad distinctum suppositum. At dato quod sit pars, seu membrum ejus, non est propter bonum individui, sed speciei. Ad 2. non fetus, sed ipsa infirmitas est aggressor vite matris: foetus autem sequitur cursum naturæ. Et dato esse aggressorem, non ideo liceret intendere ejus ejectionem, ut dictum est de aggressore injusto vite. Utrum verò liceat intendere salutem matris, & habere se permisivè ad ejectionem foetus? dicam modò. Ad 3. mors matris est malum physicum: ejectio foetus ex intentione est malum morale, ut probatum est: valet autem dumtaxat laudatum axioma, quando mala sunt ejusdem rationis.

Dico 2. Etiam illicitum est causare abortum indirectè, faciendò scilicet, unde prævidetur securus, quamvis non intendatur formalitèr, nisi in raro casu adsit justa, & gravis ratio tale quid agendi. Quia, quando est illicitum facere aliquid directè, etiam illicitum est illud facere indirectè ponendò causam, unde sequatur; quia tunc saltem voluntarium est interpretativè, & in causa, nisi gravis ratio ponendi causam excuset, & voluntarium morale ab ejus effectu tollat. Confer, quæ dixi supr. a. 3. conclus. 2. & a. 5. §. 1. probat. 4. ex S. Th.

Hinc rea est abortus coram Deo mulier, ferens grave pondus, nimirum laborans, violentè irascens, aut quid simile agens, ex quo prævidetur, aut prævidere potest securum abortum, quamvis formalitèr non intendat: idem dic de viro ex ira gravitèr percutiente mulierem prægravantem, aut cum affectu implendæ libidinis cum nimia agitatione cognescente. Hi tamen (quod diligenter avertè) non incurunt penas latas contra procurantes abortum, quia procurant abortum, strictè loquendo, est studiosè, & ex industria agere ad ejectionem foetus; quod isti non faciunt. Secus puella, quæ, ne diffametur, aut occidatur, sumit potionem abortivam; hæc enim studiosè, & ex industria querit abortum, ut vitam, aut famam servet.

Sed restat difficultas non levis, an, ad salvandam vitam matris prægravantis, & periculantis, liceat ipsi dare pharmacum causativum per se, vel per accidens abortus, præter tamèn intentionem præbentis, aut sumentis, eo ferè sensu quo diximus de defensione sui cum occasione invasoris: pro cujus resolutione.

Dico 3. Quando foetus est animatus, aut etiam quando dubitatur, an sit animatus, nullo modo licet ad conservationem matris illi dare pharmacum causativum per se, vel per accidens abortus, etiam præter intentionem dantis, vel suscipientis, saltem quantum ad speciem est factum in lucem edendum, & baptizandum. Quia tunc agitur de salute æterna prolis, quam mater suæ salutis corporali tenetur præferre. Neque simile est de injusto invasore; quia iste non est in extrema necessitate, sicut est proles in utero. Dixi: *Saltem quantum ad speciem est factum in lucem edendum, & baptizandum*: quia, si certum esset non adhibito remedio factum cum matre periturum; & e. contra certum, aut probabile adhibito remedio matrem salvam iri; multi existimant, quod tunc liceret adhibere remedium, quia in his circumstantiis vix in estimationem venit salus prolis certò perituræ, indeque jus habet mater sibi consulendi. Verum in praxi vix haberi potest certitudo, quod vel mater sine tali remedio sit peritura, vel quod foetus ex mortua matre non possit vivus extrahi: in his enim non raro falluntur etiam expertissimi medici. Undè, quamvis factum fore non damnaressem;

faciendum tamen vix, aut ne vix staderem.

Dico 4. Quando certum est factum nondum esse animatum, communis opinio tenet licitum esse præbere matri periclitanti cum fetu pharmacum, matris ex intentione conservativum, & foetus præter intentionem expulsivum. Suppono, non suppetere aliud remedium. Ratio conclusionis est; quia, ut jam sæpè dictum est ex S. Th. (*Hic a. 7. o.*) quando unius actus sunt duo effectus, potest intendi bonus & permitti malus, ubi subest justa causa; ut patet in defensione propriæ vite cum occasione invasoris, in expugnatione turris, in qua cum hostibus sunt inclusi innocentes, in pollutione causata per actionem aliunde licitam, &c. Mater autem in præsentem casu habet justam causam hoc medicamentum sumendi, nempe conservationem vite propriæ, quam merito præfert conservationi foetus nondum animæ rationali donati.

At iterum incertum est, quando foetus anima rationali animatur, propter hæc de re varietatem opinionum, ut dixi neque omnino depellit hæc incertitudo per hoc, quod Theologi, & Canonistæ communiter constituent pro tempore animationis quadragesimum, aut octogesimum diem a conceptione, ut dictum est; id enim fit, non quia ita esse certò constat; sed quia sic fert communis apprehensio, & ut habeatur aliquid certum quantum ad penas incurrendas. Undè etiam huic Sententiæ est locus in praxi.

ARTICULUS VIII.

Utrum occidens casualitèr hominem incurrat homicidii reatum.

Casuale dicitur per oppositum ad voluntarium: (*Hic a. 8. o.*) Casus enim juxta Philosophum est causa agens præter intentionem; & ideo quæ casualia sunt, non sunt intenta, neque voluntaria: Contingit tamen, quod id, quod non est directè in se intentum, sit aliquando indirectè in causa intentum. Quod non est neque directè in se, neque indirectè in causa intentum, est casuale simpliciter & absolute; quod verò non est directè in se intentum, sed tantum indirectè in causa, licet sit verè voluntarium, dicitur tamen in Jure *Casuale*: quidam vocant casuale mixtum, seu casuale secundum quid; quia non est tale nisi respectu intentionis formalis & directæ. Et hoc contingit dupliciter: uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debet, homicidium incurrit: alio modo, quando vacans rebus licitis non adhibet debitam sollicitudinem ad vitandam sequens homicidium. Duplicitèr autem aliquid potest esse illicitum & prohibitum: uno modo, quia est periculosum & inductivum mortis, ut percutere mulierem prægravantem, explodere in arcem, &c. 2. Potest aliquid esse illicitum & prohibitum, non quia est periculosum, sed ob alias causas, ut v. gr. venatio certo loco, certo tempore, quo animalia concipiunt.

Dico 1. (*Ibid.*) Si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum; quia tale homicidium nullatenus est ipsi voluntarium utpotè omnino casuale. Si autem det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum; si ex ejus opere mors hominis sequatur, sed plus minusve peccabit, quod gravior, vel levior fuerit negligentia in adhibenda cautela; quia, cum non sit ista mors voluntaria nisi indirectè in causa, est plus minusve voluntaria, quo negligentia, quæ est causa, fuerit major, vel minor.

Dico 2. Qui, vacando rei illicitæ & prohibitæ, non quia est periculosa & inductiva mortis, sed ob alias rationes, si adhibita sufficienti diligentia occidat hominem, non est reus homicidii. Ità nunc communiter post Covarr. Dom. Soto, & Navarr. Bannem, Salon, Aragon, Avila, quos citant & sequuntur Sylvius & Jo. a S. Th. in hunc articulum. Prob. 1. ex Jure C. *Quantum* 48. dist. 30. ubi Gelasius Papa consulens de illo, qui abducendo equos furivos occidit mulierem, quæ collata inter equos, abortum fecit; respondet, quod, si equos alienos furatus tulorit, indè est culpabilis, sed de muliere, quæ casu inter equos contracta est, ubi voluntas illius non agnoscerit perniciosam fuisse, non potest nec debet puniri: in quo constat, illum fuisse quidem reum furii, non tamen homicidii, licet vacaret rei illicitæ, nimirum furto. Prob. 2. ratione. Quia talis occisio non est illo modo voluntaria; non directè in se, ut patet, neque indirectè in sua causa, quæ est actio illicita, quia, ut supponimus, non est de se periculosa; & ut caveatur mors, adhibita fuit sufficientis diligentia, ita ut in illa non potuerit prævideri occisio: ergo. Confirmatur ab absurdis: ex opposita sen-

tentia sequitur 1. quod, si duo venentur in eodem loco, unus Clericus, alter Laicus, & uterque adhibeat debitam diligentiam, Clericus sit reus homicidii morte secuta, quia vacat rei illicitæ, non Laicus. 2. Si quis cædat arborem die festo, & casu opprimat aliquem adhibita sufficienti diligentia, incurrit reatum homicidii, quia vacat rei illicitæ; & non incurrit, si cædat die feriali. 3. Si quis tempore interditi pulsat campanam; quæ cadens occidit aliquem, est homicida, quamvis debitam adhibuerit diligentiam, quia vacat rei illicitæ; & non est, si non sit interdictum. Et plura alia similia, quæ videntur absurda.

Dico 3. Qui vacando rei illicitæ & prohibitæ, quia periculosa est & inductiva mortis, occidit hominem, & reus est homicidii, si, non obstante diligentia adhibita, remaneat periculosa: quia tunc homicidium est ipsi voluntarium indirectè in causa, siquidem non obstante diligentia, actio remaneat periculosa & inductiva mortis, in qua proinde & debuit prævidere mortem, & a qua ideo debuit abstinere. Si autem talem diligentiam adhibeat, quæ periculum omnino abstergat, existimamus, quod in foro conscientiz saltem non sit reus homicidii; quia tunc homicidium non est ipsi voluntarium in causa, siquidem semoto, ut suppono, periculo, non potuit prævidere ex sua actione securum homicidium. Et habet fundamentum in Jure C. *Tua nos. De homicidio*, ubi Pontifex excusat a reatu homicidii & ab irregularitate quemdam Monachum Chirurcum, qui contra prohibitionem Canonum exercuerat periculose suam artem circa mulierem, modò constaret, eum talem adhibuisse diligentiam, quæ abstergeret periculum mortis, quæ ex incisura accidit propter imprudentiam mulieris. Attamen in foro exteriori regularitèr reputabitur homicida & irregularis: quia hoc ipso quo actio est periculosa, præsumitur negligens, qui illam ponit, nisi constet de opposito. Ità, si non quoad terminos, saltem quoad sensum, Soto, Cano, Bannes, Sylvius, Serra, & alii plures, tam domestici, quam extranei: qui etiam sub his distinctionibus intelligunt S. Th. tunc hic, tunc in 4. d. 25. q. 2. dum inuit sufficere rem esse illicitam, ut quis incurrat reatum homicidii, etiamsi adhibeat diligentiam: vel enim, inquit, S. Doctor loquitur de re illicita, quæ non obstante diligentia remanet periculosa; vel loquitur in ordine ad forum exterius, unde dicit, *secundum Jura* talem incurtere reatum homicidii. Consequenter dicendum est, ut suprâ, peccatum talis homicidii fore plus minusve grave, quo major, vel minor fuerit negligentia.

Dices 1. contra 2. conclusionem & contra 2. partem hujus tertie. C. *Dilectus. De homicidio*, & alibi sæpè in Jure SS. Pontifices sunt solliciti in examinando, an, qui commisit homicidium casuale, vacaret rei licitæ, vel illicitæ, & plures pronuntiant immunes a reatu homicidii, & irregularitate ex eo quo vacaret rei licitæ: ergo a contrario sensu incurrisset reatum homicidii & irregularitatem, si vacasset rei illicitæ. R. 1. Argumentum a contrario non esse firmum in Jure ad probandam irregularitatem; quia non incurritur, nisi formalitèr exprimat. R. 2. hanc attentionem & examen SS. Pontificum, an homicidium sequatur ex actione licita, vel illicita, esse tantum in ordine ad forum exterius, in quo, ut dixi, qui dat operam rei illicitæ, ex qua sequitur homicidium, præsumitur ex culpa lata, ac gravi negligentia occasionem dedisse, & ideo pronuntiat reus homicidii & irregularis; licet in foro conscientiz non sit talis, si aut res illicita non erat periculosa, aut si erat periculosa, ea tamen fuit adhibita diligentia, quæ omnino periculum removeret: præsumptio enim debet cedere veritati.

Dices 2. Qui vacat rei illicitæ, ex qua sequitur homicidium, ponit ejus causam, quam debuisset omittere: ergo homicidium est ipsi voluntarium in causa. R. D. Ant. Ponit causam homicidii, quam debuisset omittere ut illicitam in se, C. Ant. ut causam homicidii, N. Ant. quia ut talem non apprehendit, nec apprehendere potuit, cum supponamus, aut non fuisse periculum, aut talem adhibitam fuisse diligentiam, ut periculum abstergeretur. Undè est quidem reus rei illicitæ, quam scienter ponit, at non homicidii, inscienter & casu secuti.

Ex dictis inferes 1. Qui intendit gladio amputare aurem, aut punctim explodere in brachium, qualemcumque adhibeat diligentiam, ut non occidat, si tamen occidat, incurrit reatum homicidii & irregularitatem; quia nulla diligentia periculum ab his actionibus potest abstergere, unde hoc ipso quo illas ponit, censetur ipsis homicidium voluntarium in causa. Idem dicendum de illo, qui gravitèr percutit mulierem prægravantem, si præter intentionem suam formalem abortiat. Idem de illo, qui in somno inquietus